


tur, verum etiam in ipsis doctrinae, exegeticae magis quam dogmaticae, momenti determinandis a se inuicem dissideant, atque diuerso, ut loquimur, τρέπω παιδεύω utantur. Quare quum tam locum epistolae ad Hebraeos, a TE explicatum, paullo aliter interpretari, quam ipsam peccati in spiritum sanctum notionem dogmaticam verissimam ab eiusdem notione biblica de pharisaeis usurpata distinguere soleam, satius duxi meas cogitationes plane arcerere, quam circulos TVOS bene ductos interpellationibus perturbare. Hoc sane debeo veri certique amoris et conscientiae angustorum limitum, quibus scientia humana circumscribitur, ut quibusuis veritatis eruendae et stabiliendae conatibus primus applaudam et eximie faueam, etiamsi a meis sententiis discedatur, et mirifice laeter penitioem discussionem rerum, quae in plures partes disputantur, qualem eruditissima TVA dissertatio exhibet. Habes igitur me de illa praeclare sentientem, licet de ipsa causa quaedam alia sentiam, habebis etiam comitem et spectatorem conflictus publici, atque ut legibus academicis TVAEque voluntati satisfiat moderatorem partibus TVIS non obfuturum. Plura de me reciperem ipsumque patrocinium opesque ferendas sponderem, quibus non destituerem in vindicanda sententia TVA, quam per se neque falsam, neque veri dissimilem esse arbitror, et egregie a TE exornatam deprehendo, nisi alia omnia praesagiret, mihi quoque otium et altum silentium praediceret satis explorata dexteritas, quam in academia vicina toties TE declarasse audiui, quoties ex cathedra philosophica huiusmodi conflictus et subiisti et ipse moderatus es. Quam ob rem quod publice coram praestari officium vix opportune poterit, hic occupabo. Gratulor TIBI ea animi dona, quae diuinitus habes eximia, documenta industriae et doctrinae bene multa, mentem praeclare animatam, virtutis studium et optimam spem, quam omnibus fecisti, quibus familiaris innotuisti, DEVMque O. M. deprecor, ut beneficia sua TIBI suaeque ciuitati perpetuet et salutaria esse iubeat. Officiosissimi amoris mei, quem TIBI breui tempore apud nos transacto admodum deuinxisti, quidquam desiderari non patiar.

Vale et rem tuam semper age rectissime. Dedi Halae
propter Salam in academ. Frideric. ipsis idibus
Aug. anni MDCCXXX.



Coll. Miss. A 145, 21